

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2617

Auteur(s) : Pierre d'Espagne [particulier]

Auteur(s) : Agnès, femme de Pierre d'Espagne [particulier]

Bénéficiaire(s) : Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1296

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Reconnaissance, en faveur du prieur de Saint-Martin, par Pierre d'Espagne et Agnès, sa femme, d'une rente annuelle de sept sols et quatre deniers, garantie sur tout leur héritage de la Forestie.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche, Mortagne-au-Perche, Meaux* (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 111, p. 120-121.

Texte établi d'après a

Universis..... Petrus de Espanignis et Agnes sua uxor salutem in Domino.

Notum facimus quod nos et heredes nostri tenemur annuatim solvere et reddere, post mortem Odeline de Espanigneio, religioso viro priori Sancti Martini de Veteri Bellismo et suis successoribus, in festo Sancti Remigii, septem solidos et quatuor denarios monete cursalis annui et perpetui redditus, et septem solidos et quatuor denarios similiter ejusdem monete, annui et perpetui redditus, heredibus dicte Odeline, situs et assignatos supra omnem hereditatem nostram quam habebamus apud la Forestie, juxta Espanigneium, in feodo et censiva supradicti prioris, et expectamus habere de morte Odeline predictae, quam hereditatem eadem Odelina, quondam relicta sive uxor defuncti Gaufridi d'Espanigne, condonati prefati prioris et sociorum suorum, de consensu eorumdem prioris et monachorum suorum nobis et nostris heredibus hereditarie tradidit ad redditum antedictum, habendum, tenendum, percipiendum eundem redditum liberum ab omnibus et immunem supradictis priori et monachis, et heredibus dicte Odeline ac eorum heredibus imperpetuum ; post mortem prefate Odeline, libere pacifice et quiete, in dicto termino et jure hereditario imperpetuum possidendum, prout supra divisum est a nobis et nostris heredibus pro hereditate predicta ; quam hereditatem tenemur insuper nos et heredes nostri erga dictum priorem, ejusdem hereditatis capitalem dominum, et ante mortem dicte Odeline et post imperpetuum de censu et omnibus aliis serviciis et redibenciis quibusconque penitus deservire, exceptione aliqua non obstante : juramento a nobis super premissis fideliter ad implendum prestito corporali.

In cujus rei testimonium nos dedimus dictis priori et monachis, et heredibus dicte Odeline, istas presentes litteras nostris sigillis propriis sigillatas, per quas obligamus nos et nostros heredes ad omnia supradicta tenenda firmiter et fideliter observanda.

Nos vero Gaufridus Lovet, clericus, custos sigilli de terra Pertici et ad hoc specialiter deputatus, in cujus presencia dicti Petrus et Agnes sua uxor omnia premissa confessi fuerunt esse vera, ad petitionem eorumdem Petri et sue

uxoris, sigillum de terra Pertici, salvo jure domini Comitis et alterius cujuslibet, ad majorem confirmationem omnium predictorum, presentibus litteris apposimus una cum sigillis eorumdem, ipsos Petrum et suam uxorem per sigillum curie Bellismensis finaliter ad predicta omnia fideliter et firmiter observanda condempnantes.
Datum anno Domini M° CC° nonagesimo sexto.